

tot sumptus in augenda , atque adornanda classe absumerentur . In ea vero hoc anno majus studium impendere nitebantur , quod Byzantio afferebatur , centum triremes , omnibus rebus instructas adesse ; præfectum summum antea memoratum Chariadenum illum Ahenobarbum designatum fuisse , cuius in maritimis rebus eximia disciplina magnam illi apud cunctos mortales famam concitaverat . Hunc enim ab infimis abjectæ fortis initiis ad summam non minus virtus , quam fortuna felicitatem extulerant . Nam in Lesbo insula Chariadenus , atque Horutius fratres , patre Græco orti , Camali archipiratæ se adjunxere ; maritimisque excursionibus prædas agendo , debiliores quoque opprimendo , ad tantum opum , & divitiarum fastigium se evexere , ut Horutius natu major , justa ex piratis classe confecta , in Mauritiam profectus , ex Numidarum dissidiis egregiam occasionem nactus , Algerii regno potiretur . Sed fines latius amplificare conantem Mauri , atque Hispani oppressere . Eo interfecto , Chariadenus imperium suscepit , nec minus quam frater bellico spiritu , præstanti ingenio promptus , pari quoque regnandi libidine , atque divitiarum cupiditate incensus , brevi , multis in Numidia rebus terra , marique gestis , clarum adeo maritimæ scientiæ sibi nomen comparaverat , ut , quod superius retulimus , Suleimanus , missis nuntiis , illum Byzantium vocaret , marisque præfecturam committeret , ut notam illam elueret , quam Himerales in Peloponneso turpi fuga contraxerat ; a viro industrio , atque a prima juventa in maritimis rebus versato fieri posse ratus , ut Turcarum gens , cuius in terrestribus præliis summus vigor , ac virtus esset , mari quoque priscorum gloriam æmularetur . Hoc magistro maritimis præliis minime assueta gens , tantum profecit , ut acriori , ac severiori disciplina imbutam ad mari quoque militaria munera obeunda non inferiorem se præstiterit . Hujus illud inventum extitit , mancipia , & captivos ad transtra compellere , atque ad remigum officia præstanta opportune instruere ; quod quidem Christianorum rebus haud parva detrimenta attulisse compertum est .

Bellici apparatus fama cum in dies augeretur , nec non ad Suleimani classem centum quoque piratica navigia Chariadenum additurum , nuntiaretur , novas adjicere triremes superioris anni

*Chariadensi  
genus &  
progressus .*

*Veneti clas-  
sem augent .*